

802  
DISSERTATIO MEDICA  
INAUGVRALIS

De

# IRIDE

QVAM

DIVINO SVB PRÆSIDIO  
CONSENSV GRATIOSI  
ORDINIS MEDICORVM

IN

ILLVSTRI NORICORVM LYCEO

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
SOLENNI RITV IMPETRANDI  
PVBLICE VENTILANDAM  
PROPONIT

ad d. Junij A. O. R. 1819 CCX.

M. ALBERTVS HEERING

Wertha - Nor.

---

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

Alsdorff





## PROOEMIUM.



*Materia Medica non uno nomine similis est exercitui. Magna multitudo militum est exercitus: Materia Medica pariter innumeras penè res complectitur, ad debellandos humani corporis affectus comparatas. Exercitus in suas dividitur Legiones, Cohortes, Turmas, nec minus Medicamenta in suas distribuuntur classes atque ordines specialiores. Quemadmodum verò exercitus alicujus robur non tam è copia quàm virtute militum aestimari solet; ita remediorum non tam multitudo quàm delectus commendari meretur. Porrò uti Duces exercituum plus confidunt militibus veteranis, & quorum virtus sæpe variis in occasionibus enituit, quam recentibus & nondum satis exercitatis: Sic Medici prudentes auxilia præferunt quorum explorata Virtus, & à multo jam tempore constantibus experimentis comprobata existit. Hæc sunt quibus instructus Natura Minister aggreditur morbos tanquàm hostes ejus, & sæpe cum exigua manu plures feliciter prosternit. Hæc sunt laudatissima illa polychresta, quorum tam multiplex quàm certa deprehenditur utilitas, eò magis aestimanda, quò antiquius insimul celebrata. Horum in Ordine haud infimo stat loco IRIS, medicamentum & antiquum, & efficax, & polychrestum quod etiam Dioscorides ex omnibus Materia Medica speciebus in prima quasi acie primùm collocavit. Satis proinde dignum Thema Dissertationis Inauguralis præbere mihi videtur: cujus elaboratio ut benè succedat, Divinum auxilium votis atque precibus meis efflagito.*

§. I.

**Q**uod *Iris arcum caelestem*, meteorum istud aëreum, emphaticum, diversicolor significet, non minus notum est, quam id, quod nonnullæ res aëriæ, ob qualemcunque illius similitudinem eodem nomine indigentur. Sic *Iris* habetur *in oculo*: Sic gemma quædam: Sic plantæ genus appellatur *Iris*, à caelestis arcus similitudine, quam flores ejus quodammodo referunt, veluti hoc etymon diferte statuit a) *Dioscorides*. Hujus plantæ tam *naturalem* quam *medicam historiam* (cæteris omnibus missis quibus nomen *Iris* competit) evolvere decrevi. *Onomatologiam* equidem prolixius tractare non est animus, cum id ab aliis, præsertim *Casparo Baubino* b) factum jam sit: Quare vel obiter indicasse sufficiet, quod *Iris* Græcorum & Latinorum commune sit vocabulum, quamvis utrique diversimode ejus *genitivum* forment. Ita *ἰριδος* legitur apud *Hippocratem* ac *Dioscoridem*; *ἰριδος* scribit *Nicander*, teste *Borricchio*. c) Inter Latinos Veteres *M. Catoni* genitivus similis est nominativo: Sed *Columella* tam *Iridis* quam *Iris*, & hinc in accusativo *Irim*, pronunciat: *Celso* genitivus est *Iridis*. Cæterum Germanica nomina frequentiora sunt, *Schwertel* / quod figuram foliorum, & *Beilwurts* quod Radicum in aliquibus speciebus odorem respicit. Aliarum Nationum vocabula pluraque synonyma qui nosse cupit, adeat laudatum *Bauhinum* & *Christ. Mentzelium*. d)

§. II.

Ego id potius nunc agam, ut *Iridis* naturalem Historiam seu *descriptionem Botanicam* declarem. Quandoqui-

---

a) *De Mat. Med. Libr. I. cap. 1.*  
 b) *Theat. Botan. Libr. I. Sect. VI. cap. 2.*  
 c) *Ling. Pharmacop. Lit. I.*  
 d) *Ind. nom. plant. univers. edit. noviss. p. 162.*

do quidem verò per amplum hoc est nomine veniens plantarum genus, præstabit utique primum illos exponere *characteres*, qui *universo generi communes sunt*, deinde autem *proprias certis speciebus notas atque differentias* subjungere. Ilos igitur, nempe *genericos characteres* designare licebit Clarissimi Botanici *Jos. Pitt. Tournefort* e) observatione, juxta quam *Iris est plantæ genus, flore monopetalo, in partes sex ampliato, quarum tres sursum, tres vero deorsum spectant. Pistillum e fundo floris surgit tribus petalis instructum fornicatis, & partibus floris deorsum inflexis ita incumbentibus, ut palati cujusdam speciem præ se ferant. Calix autem deinde abit in fructum oblongum, trifariam apice debiscentem, in tria loculamenta divisum, & seminibus fœtum, nunc subrotundis, nunc planis. Radix carnosæ, oblonga, repens & tunicis carens.*

§. III.

Omisi autem studio nonnulla quæ laudatus Autor ex principiis novæ methodi suæ, ad rem præsentem parum facientia, inseruit: Hoc verò prætermittere nequeo, facile conciliari posse *Tournefortum*, pluresque alios, videlicet *Morisonum*, *Ammannum*, qui *sex tantum petala Iridi* attribuunt, cum *Paulo Hermanno & Jobanne Rajo*, qui eandem *enneapetalam*, seu floris novem petalis gaudentem faciunt, computando nempe tria ista petala, quæ *Tournefort* non tam ad florem, quam pistillum ejus pertinere censuit. Ipse autem flos, accurate loquendo est *monopetalus*, tum omnia illa segmenta five sex five novem numerentur, in exortu suo cohærent, nec singulatim decidunt. Cœterum *folia figuræ gladii, & acie cauli obversa*, cum *Jobanne Rajo* f) genericis characteribus *Iridis* annumerare omnino decebit.

e) *Instit. rei Herbar. edit. alt. p. 358.*  
 f) *Hist. Plant. Tom. II. p. 1180.*

§. IV.

Accedo ad *differentias Iridis*, quæ pro diverso ad hanc aut illam plantæ partem respectu, diversæ ac plurimæ emergunt. Sic intuitu *Radicum*, *Iris* alia est *bulbosa*, alia *tuberosa* & *fibrosa*. Quælibet earum rursus amplam constituit classem, ac permultas complectitur species, ita quidem ut solus *Tournefort* l. c. *Irides tuberosas* LXXVII, *bulbosas* vero XXXVIII, circiter, specie distinctas enumeret: Mihi vero illas saltem accuratius considerare propositum est *species*, quæ nobilem in Medicina usum habent. Propterea *missam facio totam classem bulbosarum Iridum*, utpote haud officinalem, cujus etiam *differentias sæpe laudatus Tournefort Xiphii* communi nomine ab altera *Iridis, tuberosæ* nimirum *classe*, sagaciter distinguit: Hujus autem species neutiquam omnes, sed paucæ duntaxat explorati & frequentati sunt usus, quarum characteres paulo infra designabo.

§. V.

Ratione *foliorum* alia *Iris* est *latifolia*, multarum omnino specierum, alia *angustifolia*, non paucas quoque continens *differentias* apud *Herbarios* imprimis *Caspar. Bauhinum* & *Mentzelium* distincte *inveniendas*. Porro nec minimum *discrimen* peti solet *a florum colore*: Hujus enim *varietas* ingens ac tanta est, quanta in *perpaucis floribus* aliis *conspicitur*. Occurrit sane præter *violaceum*, utpote *vulgatiorem Iridis colorem*, etiam *cæruleus*, *purpureus*, *luteus*, *albus*, non uno rursus modo ac gradu *differentes*: quæ quidem *colorum diversitas* nomini *Iridis* *occasionem* dedit, tametsi plures *Botanici non tam à multiplicitate colorum in specie, quàm individuo apparentium*, *laudatam arcus cœlestis similitudinem* deducant: Cum ex *adverso alii varietatem coloris in specie hic malint esse attendendam*. Prolixius est in ex-  
pen-

pendenda hac controversia *Johannes Bodæus à Stapel g)* ad quem remitto L. B. Interim non dissimulo, quod suspicer, *haud ob solam colorum diversitatem, sed unà* (si non præcipue,) *Iridem comparari cum arcu cœlesti, propter figuram arcuatam petalorum trium reflexorum. Et quæ his per longitudinem adheret, exporrectam lanuginem, ut plurimum e luteis pilis compositam, que purpureo, cœruleo, aut alio cujusvis petali colore distincta, Iridem cœlestem sic minus coacte repræsentat.*

§. VI.

Possẽm facile plura *differentiarum Iridis* momenta in medium proferre: Sed unicum hoc commemorare adhuc placet, quod *Patriam sive locum natalem* spectat. Hujus enim addito nomine ipsi veteres Medici designare fatagerunt certas atque *distinctas Iridis species*: sic alia *Iris* est *sylvestris*, alia *palustris, montana, sativa* &c. Sic passim apud antiquos Autores invenire licet *Iridem* diversimode cognominari *Illyricam, Macedonicam, Lybicam* &c. Recentiores vero Autores, nunc *Germanicæ, Belgicæ, Lusitanicæ*, nunc *Panonicæ, Illyricæ* ac seorsim *Florentinæ* mentionem faciunt.

§. VII.

Opportunum hic esse censeo, ut examinem, *quænam è differentiis illis omnibus optima sit pro medendi scopo Iris?* quam ob rem si veteres Græci & Latini consulantur, ipsi uno quasi ore *Illyricam* commendant, reliquis ferè posthabitis. Sic *Theophrastus h)* *Iridem meliorem perhibet in Illyride, quam in Macedonia esse, in Thracia verò cæterisque frigidioribus locis, ac minus cocturæ idoneis, odore penitus carere.* Quin juxta *Galeni i)* suffragium, si  
Iris

g) Comment. in Theophr. H. B. p. 867.

b) De caus. plant. VI. 28.

i) De antidot. Lib. 1, c. 12.

*Iris Lybica Illyricæ* comparetur, tantum ipsi cedit, quantum cada ver vivo corpori. Apparet hinc, causam præstantiæ *Iridis Illyricæ* non esse quærendam in eminente caliditate istius regionis, aliàs nobilior foret *Lybica* seu *Affricana*, utpote fervidiore sub cœlo vegetans. Potius igitur peculiarem quandam vim soli, licet obscuram, cum *Johanne Costeo* l) in causa esse putaverim, quod in *Illyrico* excellentior nascatur. *Iris Dioscorides* & *Oribasius* pariter optimam judicant *Illyricam*, ita tamen, ut huic proximam vel æqualem faciant *Macedonicam*.

§. VIII.

Recentioribus autem temporibus, pleræque Nationes in Europa cultiores *Florentinam Iridem* anteferunt, aut saltem æquiparant *Illyricæ*, nullo quidem errore, cum & ipse *Galenus* l. c. libens fateatur, ortam in aliis gentibus *Iridem* ab *Illyrica* tam multum haud degnerare. Quid, quod nec specie, nec florum colore *Illyricam* & *Florentinam* differre perhibeat testis *Ant. Mus. Brasavali* m) ut & *Casp. Hoffmannus* n) qui in hoc solum discrimen ponit, quod *Illyrica* bis floreat quotannis, *Hetrusca* seu *Florentina* semel: idem verò subscribit aliis Botanicis, qui in *Radice* insuper differentiam statuunt, quod *Illyrica* extus quidem colore albo sit, intus autem ruffa, ὀπρὶνιγγῶ *Græce* dicta, *Hetrusca* extus & intus alba; hæc odoratior, sed *Illyrica* calidior existat: pro diversitate igitur indicationum, jam melior erit *Illyrica*, jam *Florentina*.

§. IX.

Obiter hîc commemoro, Græcos Veteres duas seorsum *Illyricæ Iridis* agnovisse differentias, intuitu figuræ radicis, unde *Plinio* p) narrante, alia *Rhaphanitis*, alia  
rhizo-

l) Annot. in *Mesue* simpl. cap. VIII.

m) Exam. simplic. Medic. p. m. 248. & 49.

n) Var. Lect. Lib. I. cap. 8.

o) H. N. Lib. XXI. cap. VII.

p) de Plant. Lib. X. c. 26.

*rhizotomos* appellata fuit, quorum vocabulorum sensus, juxta *Andream Cæsarpinum* p) hic est, ut *Rhaphanites Radicem in rotunditate oblongam*, *rhizotomos* autem *veluti mutilatam detruncatamque* significet, qualis quidem conditionis *Florentina Iris*, quæ communiter sub hoc nomine venditur, esse solet. Cœterum in eo fere consentiunt Botanici recentiores, quod *Iris Hetrusca*, cujus radix tanquam præstantior expetitur, flores ferat *nivei candoris*: talem enim in Hetruria passim coli testatur *Henricus Smetius* q) *Cæsarpino, Casp. Baubino &c.* consentientibus.

§. X.

*Notas bonitatis in Iride* sequentes animadvertit l. c. *Dioscorides*, ut nimirum *pumila fere ac densa constet radice, frangenti contumax, subruffo colore, gustu amaro, odor verquam sincero, ita ut nullum prorsus situm redoleat, & quæ, dum tunditur, sternutamenta moveat.* Omnes hæ notæ ad usitatam penes nos hodie *Florentinam Iridem* facile quadrant, excepto colore, qui in hac, velut antea e *Casp. Hoffmanno* retuli, ordinarie *albidus* deprehenditur, tametsi interdum occurrant quædam frusta, intus manifeste fatis rufescentia; sed talia *Illyricæ Iridis* specimina quis forsan dixerit? cui non repugnaverim, parum quippe sollicitus, quo loco nata sit, si modo præcipuis laudabilibus notis gaudeat in usum vocanda *Iris*. Juva-bit hac in re monentem sequi *Galenum* l. c. *Iridem odoratiorem semper eligito: unumquodque enim optimum est, quod sui generis odorem habet vehementiorem.*

§. XI.

Præter Iridem vero *Florentinam*, utpote exoticam, in usu quoque est nostratibus *Iris Sylvestris* aut vulgaris *Germanica*, blau: *Schwertel* & *Himmel Schwertel* /  
B item

p) de plant. Lib. X. cap. 36. q) Miscellan. Lib. IX. cap. 2. p. 568.

item *blauæ Gilgen* nuncupata. Hanc fuse describit *Casp. Bauhinus* l. c. Differentiam vero ab *Illyrica & Florentina* in eo præsertim ponit *C. Hoffm. r)* quod radicem gerat rugosam minusque odoratam, uti sane duplici hoc discrimine ignobilitatem suam cuiusvis exploranti facile prodit. Nihilominus & ipsa officinalis, & suis prædita est virtutibus non spernendis, maxime quamdiu recens fuerit *Iris hæc nostras*, quemadmodum infra pluribus edifferam. Curiosum forsan nimis est discrimen quod in *Iride ista Sylvestri* statuit *Nic. Wincklerus s)* quando duum esse generum censet, unam fativæ per omnia similem, nisi quod radices sint graciliores, alteram foliis gladioli longioribus, flore novem petalis purpureis constante, quorum extima superior tantum pars aureis pingatur lineis: Sed utrumque istud genus plane non differens autor ille pronunciat, radicis respectu, quam tenuem, lignosam, geniculatam, suffrussam & inodoram esse tradit.

§. XII.

Colligendi modum quod attinet, plane superstitiosum narrat *Plinius* his verbis: *Fossuri tribus ante mensibus malsa ∇a circumfusa, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscripta mucrone gladii orbi triplici: Et cum legerint eam, protinus in cælum attollunt. Tempus collectionis, iudicio Mesuæ t)* melius est *principium Veris*, quod non perperam præcipi existimat *Costæus*, quia tunc utili humore multo prægnans est radix, in producenda scilicet folia ac flores parato; quare & extrahendo succo magis idonea est, ac si exsiccanda sit, viribus longe superior, alioqui, si autumnum expectas, esse eo tempore solet arida, quæ alendis & foliis & floribus humore insito plurimo est exhausta; Neque autem est (quod in aliis plantis evenit) ut foliorum casum in hac expectes: quando

r) de simpl. med. c. VII, s) Chron. barbar. Lit. R. 3. t) Comment. in Mesl. c.

do, perpetuo etiam hyeme, illi inhærent. Non temere ergo Mefue vernum tempus huic eruendæ radici adscribit: hætenus ille. Coëterum communis quoque aliis radicibus existit *ratio tractandi effossam Iridem*, à *Dioscoride* laudata, ut, *frustatim dissecta siccetur in umbra, & trajecta lino recondatur*: quamvis ne sic quidem conservari satis feliciter possit hæc radix, utpote quæ, jam tum *Plinio* teste, *non sicca modo, verum & delitescens adhuc in terra, celerrime sentiat teredines*: cum interim hoc non obstet, quo minus *odoratior in vetustate reddatur* ipso etiam *Dioscoride* observante. Est vero etiam *usus singularis succi Iridis*, præsertim *nostratis*, è *radice recenti extempore exprimendi*, quemadmodum suo loco pluribus indicabitur.

§. XIII.

Recensiturus nunc *virtutes Iridis*, haud morabor lites veterum, circa *primas* ejusdem *qualitates* harumque *gradus*, tametsi plerique *calidam & siccam inter secundum atque tertium ordinem statuunt*. Nonnullorum vero discrepantes sententias proponit *C. Baubinus* l. c. Ego potius *secundas* atque *tertias* sic vulgo dictas *qualitates*, utpote certiores, & multiplici effectu comprobatas enarrabo. Manifestum itaque hoc esse imprimis puto, omnem *Iridis radicem*, propter abundantiam *salis acris atque subtilis*, tam gustu quam olfactu percipiendi, *incidere, attenuare & resolvere*: propter ær autem, sive *particulas* ooso *ramosas, una cum salinis substantiæ* vreo, *mucilaginosæ immersas, abstergere, emollire, digerere*: quæ sane cuncta non rationi solum analoga, verum & experientiæ satis sunt conformia. Incidendi quidem & attenuandi magnam potentiam commonstrat evidentissimè constans *effectus purgatorius* vel evacuandi per alvum. Quare non solum, *Dioscoridis* testimonio, epota ex hydromelite

drachmis septem purgat bilem, crassamque pituitam, verum etiam *Ruffus*, & ex ipso *Oribasius*, u) perhibent, *succum Iridis validissime tam bilem quam aquas movere; Imo, si plus justo detur, etiam sanguinem trahere.*

§. XIV.

Dicta *virtus Iridis cathartica* facile persuasit recentioribus Medicis, ut seorsim in *hydrope* facerent periculum ejus, quamvis circa dosin haud parum dissideant; uti sane varias variorum sententias exponit *Simon Paulli* x) è quibus, inter se collatis, hoc demum colligitur, infirmam dosin esse unc. ß. summam unc. tres aut quatuor. Scribit *C. Hoffmannus* y) quod cum *iste succus saepe faciat ardores, non in faucibus tantum, sed & in toto corpore*, quidam prorsus abhorrere ab illo; sed distinctione hic opus esse idem censet, cum in *Germanica* id fieri verosimile sit, in *Florentina* non æque; Deinde verum id esse *de succo crudo, per residentiam non depurato*, quod tamen fieri debet si modo tutò curare volumus. *Corrigitur* autem (ut porro ille infert) *hæc acrimonia succi à Practicis*, addito *saccharo* aut *manna* aut *melle rosato*: Sed præterea hanc habet malitiam, *autore Mesue*, quod *ventriculo molesta* sit, quam ipse obtundendam præcipit *spica & mulla*.

§. XV.

Coeterum istam *succi Iridis violentiam se quidem expertum negat Mart. Listerus* z) etiamsi sæpius in *Hydrope* ad tres quatuorve unc. dederit: *an forte quod Iridis succus apud Anglos nutritæ mitior sit? At de nostratis, seu Germanicæ Iridis succo* certum satis hoc est, quod non solum potenter evacuet *hydropicos*, sed & *faucium insigni ardore corripit*: Memorabilis hanc in rem historia, per *Jacobum Wolfium* communicata, extat in *Miscellaneis Acad.*

u) *Collect. Libr. VII. c. 27. p. m. 295.* x) *Quatrip. Botan. p. m. 70. & de dos. medic. purg. p. 590. & 91.* y) *de medicam. officin. libr. I. c. 20.* z) *de morb. Chron. Exercit. I. p. m. 57, 58.*

*Acad. Nat. Curiosorum aa*). Ut autem jucunde non minus quam tuto operetur validum hoc purgans, medici diversos corrigendi per aromatica, saccharata, mellita &c. modos præscribunt, cujusmodi tres egregios exhibet l. c. *Smetius*. Nec contemnenda forsitan est methodus *Theod. Mayernii bb*) quando *succi è rad. Irid. express.* & per subsidentiam parati unc. s. cum Syrup. ros. solutiv. unc. ij.: simul ordinat hydropicis. Idem Auctor pro eodem scopo, non minus commendat ipsam radicem, in substantia exhibendam, sequentibus verbis: *Hydragogum excellens est rad. Ireos Flor. rec. & fragrans, in tenuiss. pulv. redacta, ex vino albo à ʒj ad ʒij sumta copiose operatur & blande. Sæpius dedi hydropicis felici successu, & per se & cum jalap. [cui permixta egregiè purgat] & cum Mercurio dulci. Consumit materiam cachexiæ & hydropis, & tumores œdematosos usu tollit. R. Ir. Flor. ʒiij, macis ʒij, zinzib. ʒiij vel ʒss, F. pulvis Detur quotidie mane cochlear, j. cum saccharo in vino albo vel cerevisia. vel. R. Irid. Flor. ʒj. Tartari ʒlati, macis, cort. Wint. cort. sassafir. aa gr. v. sandal. citr. curcumæ, aa ʒss, sacch. anis. ʒj. M. f. pulv. pro una dosi, Detur ex vino quotidie.*

§. XVI.

Atque ita satis me declarasse puto insignem *Iridis vim catharticam* præsertim in educendis aquis *Asciticorum*. Pariter autem purgandi sine *Oribasius* l. c. drachmas tres *illius radiceis ex melicrato* sumendam suadet spleneticis, quotidianam aut quartanam febrem habentibus, spiritus angustiam laborantibus, & quos tussis & colicus dolor infestat. Quantum ad febrifugum usum attinet, hunc quidem ab aliis medicis tantopere laudatum non deprehendo, quod autem colicis torminibus, apud infantes maximè, medeatur, si quando talia saburræ viscido flatulentæ originem debent,

aa) Dec. II. Ann. VIII. obs. 63. bb) Prax. med. Syntagm. I. Libr. 3. c. 10.

tam *virtus Iridis incidendi & abstergendi* indubium facit, quàm creberrima Practicorum experientia confirmat. E multis unicum *Simonem Paulli* vocare placet in testimonium l. a. ita scribentem : *Utilis quoque est [Iris Florentina] ventris inflationibus medendis ; quibus quoniam facile recens nati infestari solent , temperare mihi non possum. quin vobis descriptionem pulveris communicem , cujus usu D. Jacobus Martini quam plurimos ab his vindicavit , propinando eis hujus scrupulum unum itemque alterum in lacte nutricis solutum. R. autem rad. Pæon. Ir. Flor. aa ʒij. Croci ʒij. Sacch. albi ʒij candi ʒiʒ. Penidii ʒʒ. misc. f. l. a. pulvis subtilissimus.*

§. XVII.

Non solum autem propter particulas incidentes atque *abstergentes Iridem sedare tormina* verosimile est, sed etiam mediante ære blando balsamico , quod pacandis cum nervoso genere spiritibus idoneum perquam videtur. Huc digitum intendit *Dioscorides* , dum & *somnum conciliare Iridem* asseverat. Verissimum id esse *Listerus* testatur. Effectum tamen hunc limitat *C. Hoffmannus* , eundemque non à vi narcotica sed *substantiâ vaporosâ* , [quali constet quoque *Crocus*, *Myrrha*, *Ambra* &c.] procedere putat. Id autem fieri in *corporibus frigidis & humidis*, non calidis & siccis : subscribit huic sententiæ *Simon Paulli* , ne plures adducam testes : cum interim existimem requiri ad istum effectum obtinendum non modo *fragrantiores Florentinam Iridem , sed ipsam probe siccata ac diuturnæ evaporationis beneficio a sale acriori volatili liberata* : Hæc enim forsitan est ratio , quare *Iris vetustior elegantius fragret quam recens*. Atque ut meum qualecunque iudicium proferam , *ubi magis incidendum , resolvendum & evacuandum est , Iris recens , vel succus ejus præstabit*, ubi *verò demulcendum & roborandum , potius anosa ac per ipsam vetustatem blandior reddita conveniet.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Taceo varias insuper *vires* Iridi a variis attributas, nimirum *urinam*, *calculum* & *menses movendi* &c. quæ fane ex dictis per analogiam facile probabiles redduntur. Quod *gonorrhæa* simplici aut involuntariò feminis profluvio laborantibus Iris conducat, non tantùm *Dioscorides* tradidit, verùm & *Gabr. Fallopius* cc) suam addit experientiam, se scilicet pluries in hoc casu usum, maximo cum successu, exhibendo radicis hujus pulverisatæ ʒj. cum Sacchari rosati ʒiſſ, quotidie per dies quadraginta mane, hujus mixturæ cochleare unum exhibendo. Sit fides penes auctorem. Vulgatior fane est *usus errbinus*, quandoquidem non solum, *Dioscoride* jamdum observante, *sternutamenta* & *lachrymas movet*, naribus nempe excepta *Iris*, adeoque ab extravasatis & stagnantibus serosis humoribus caput liberat, irritante salis acrimonia, sed etiam suavis præeis exhalationibus roborat, spiritusque reficit, quotidie hinc eo nomine frequentata.

§. XIX.

Coeterum excellit omnino *Iris pectorali virtute*, ita ut vix magis concordēs ullibi medicos invenire liceat, quàm in hac asserenda. Plurimi tamen etiam hos usui præfigunt terminos, ne ultra statum *frigida* & *humida intemperei* ille extendatur. Quare *perperam* in hac radice quærerent solatium *tussi sicca*, *hæmoptysi* aut *phthysi vera afflicti*, quibus ipsa propter acrimoniam & caliditatem suam non poterit non obesse magis. Rectius itaque præscribitur *asthmaticis* & *infarctu pulmonum humido-viscido laborantibus*: hunc enim potenter resolvit, & adfacilem expectorationem disponit. Ingreditur propterea *Iris* plerasque *compositiones* tam *officinales* quàm *magistrales*, *pectorati*, per tullim & screatum mundificando *dicatas*. Pro-

stant

cc) Comment. in Diosc. Libr. LX. c. 6.

stant in officinis duplices *Dia-Ireos species*, nimirum *simplices*, & *compositæ* Actuarii aut *Salomonis*: Utrarumque accuratam analyfin *Bern. Dissenius Cronenburgus dd)* & *Franc. Alexander ee)* instituerunt. Mihi vero in præsens sufficit de illarum usu perdocta *C. Hoffmanni* ἐπιγραφῆς, quod nempe non ad purgandum faciunt, verum ad destillationes, hac limitatione, ut simplicis quidem usus sit ab initio, antequam malum invalescat, compositæ autem in affectu diuturno, præsertim frigido.

§. XX.

Potest autem fere commodius *ex tempore in pulverem redacta Iris* præscribi, & singulis casibus, vel sola, vel juncta aliis, propiniari, facilius sic determinanda dosi & accommodando usu ad cujusvis ægroti statum, & medici arbitrium. Est enim profecto *Iris* ex illorum simplicium numero, quæ *quam minima præparatione indigent*, sed probe tantum siccata & conservata in quaslibet formulas prompte rediguntur. Quare nec operæ pretium duco evolvere plures, aut olim, aut hodiernum officinis familiares *ex Iride compositiones*. Quin & nonnullæ frustra suscipiuntur præparationes, cujusmodi est *aquæ Iridis* destillatio, cui (licet odore & sapore prorsus non careat) facile tamen palmam præcipit *infusum aut decoctum*. *Job. Poppius ff)* mentionem facit *olei ex Iride destillandi*, quod tanquam nobilissimum remedium cephalicum, & in primis pulmonum, tum etiam aliorum viscerum languoribus succurrens ille commendat. Mihi vero quærenti *oleum Iridis, mediante* (ut artis est) *cum aqua destillatione*, nihil comparuit, præter ipsam aquam quodammodo albidam ac turbidam, odoratam tamen, supernatante *paucissima unguedine*, qualis fere cum aqua rosarum prodire solet; ut adeo aut mentitum esse, aut alia methodo destillasse suum *Iridis oleum* suspicer *Poppium*. §. XXI.

dd) de compos. medicam. p. m. 172. 73. ee) Apoll. ad 1. p. m. 163. 65.  
ff) Kreuterbuch p. 424. & 25.

## §. XXI.

Usitatus, & citra difficultatem parabile est, per in futionem & coctionem,  $\circ\circ$  eum *Irinum* jam pridem celebratum & creberrime adhibitum, quod quibus locis olim maxime præstans fuerit confectum *Plinius* edocet. Ipsæ verò compositiones à diversis traduntur diversæ. Nostribus in officinis extat  $\circ\circ$  eum *Irinum Mesua*, quod unam radicis, duas florum partes in  $\circ\circ$  eo veteri macerandas & coquendas secundum artem recipit, quod etiam exceptionem facit illius *asserti Pliniani*, quod *Iris radice tantum commendetur*. Quamvis existimem, flores omnino plurimum imbecilliores esse radicibus, illosque in compositione olei citra errorem omitti posse, aucto saltem harum pondere. Cæterum usus  $\circ\circ$  ei *Irini* (quod calidissimum & penetrantissimum *C. Hoffmannus* pronunciat) *ordinarie saltem est externus*, quem tamen in *Pharmacop. Augustana* prolixius laudatum jam non moror, sed potius ad *Iridis ipsius externe vario modo adhibitæ nobiles quosdam effectus merito pandendos propero*.

## §. XXII.

Meretur autem hoc primum notari, quod *maficata Iris balitum oris commendet*, proptereaque *dentifriciis pulveribus* communiter addatur; quia non solum balsamico &re putredinem gingivarum præcavet, sed & has unà cum dentibus abstersiva virtute mundificat, & nitidiores reddit, denique etiam confirmat. Quin & *Iridis decocto*, si *dentes foventur*, *dolorem eorum mitigari* perhibet (*Jacobus Horstius* gg.) Popularis neque vituperandus mos est, *infantibus dentitione occupatis appendere Iridem Florentinam*, ut hujus crebriori commorsu *facilitetur ipsorum dentium eruptio*. Seorsim quoque *ozæna laborantibus*, aut *quibus alias anima foetet*, *Iridem mandendo conducere testatur*

C

tur *Simon Pauli* l. c. ubi & ipse *usum Iridis in pulveribus sic dictis cypriis* capiti roborando & capillicio conspergendo excogitatis, horumque *abusum* erudite examinat, & perstringit.

## §. XXIII.

Coeterum *pleraque de usu Iridis interno*, in variarum partium affectibus salutari, a me relata, *de externo etiam usu prædicari possunt*. Sic pro *capite roborando*, & *doloribus ejusdem frigidis sedandis*, oportune *Iris* recipitur *ad cucuphas* aut *sacculos capitales*. Sic *respiratione difficili* ab infarctu pulmonum viscido, nec non *tussi humida* laborantibus prodest *fomentum pectoris ex Iride vel*  $\circ$  eum ipsius illitum. *Pulverisata Iris* cum *zedoaria* & *calamo aromatico*, inspersa *calido pani e clibano extracto*, atque imposita *ventri*, *fortissimam colicam mitigat*, fidem faciente *Horstio* l. c. *Tusam* & *decoctam Iridis radicem in fotu adhibendam*, *adversus mensium obstructiones*, commendat *Hippocrates*, cui consentit *Dioscorides*, hoc etiam addens, *quod cum melle, glandis modo subdita Iris, partum extrahat*.

## §. XXIV.

Laudatur insuper *Iris*, uno quasi ore a medicis, tanquam *topicum emolliens ac digerens validissimum*: quo quidem nomine ipsam iterum extollit *Dioscorides*, *quod cocta & illita strumas, veteresque duritias emolliat*. Qui vero tumores *resolvi adhuc queunt*, eorundem materiam non minus *promte dissipat*, unde *Scribonius Largus* ii) *Irim Illyricam coctam ex passo, calide bis ter vè impostam bene discutere parotidas* observavit. Neque minus *eminet abstergendi potentia Iris*, utpote cui tam *salinæ acres* quam *æreo-mucilaginosæ* ejus *moleculæ famulantur*; Quapropter *smecticis remediis* jure suo dudum *annumerata fuit*. Admotam hinc *radicem Iridis*, cum *albo veratro*, & *duabus mellis partibus*, *lentigines & vitia*

bb) Lib. de nat. muliebr. edit. Foes. Sect. IV. p. m. 140. ii) Composit. med. n. 43.1

*vitia cutis in facie à sole contracta emaculare, autor est Dioscorides. Eandem ob rationem hodieque smegmatibus sive saponibus odoratis, (quorum usu gaudent delicatuli ad abstergendam & nitidiorem reddendam cutem) Iris Florentina solet immisceri.*

§. XXV.

Nec silentio possum prætermittere eximiam vim *Iridi traumaticam*, quæ a plurimis commendata legitur, tametsi magis ad antiquas & sordidas partium solidarum continuitatis solutiones, e. g. *ulcera* varii generis, quam ad *vulnera recentia* usus ille restringitur. Hic iterum adest suo testimonio *Dioscorides*, *siccam Iridem ulcera replere, cum melle purgare, nudata ossa carne operire, &c.* Huic omnino suffragatur *Mesue. Hieron. Tragus* II) insuper *ulceribus cancris, fistulis, herpeti* aliisque, *genitalium* præsertim vitiiis *inspersam Iridem* conducere affirmat. Ne usum in specie contra *paronychiam* è quorundam observatione hic commemorem prolixius, id saltem puto minime obscurum esse, quod *Iris*, partim mediantibus *salino-smecticis particulis*, ulcerum atque vulnerum mundificationi; *sulphureo-balsamica* autem *substantia*, putredinis correctioni, carniū regenerationi & consolidationi aptissima existat. Has hæcenus propositas *Iridis egregias dotes atque tam internas quam externas utilitates* qui secum perperenderit, facile, puto, adstipulabitur *Plinio*, qui istam *unguentis & medicinæ natam*, cum admiratione pronunciat: Nec hyperbolice locutum iudicabit *Dioscoridem*, qui in *universum magni ad omnia usus, Iridem* esse declarat.

§. XXVI.

Coronidis loco nonnihil annexam *de usu Iridis extra Medicinam*, aut saltem non directe ad hanc pertinente. Fragrantia certe hujus radicis, & balsamicus character

mor-

II) *Hist. stirp. Lib. II. c. 51.*

mortalibus haud difficulter persuasit, ut ad conservandas à corruptione & condiendas res varias, illam expeterent. Sic vestimentis additur, ut tineas prohibeat, & erosionem à vermibus impediatur, dictitante *Horstio*, qui etiam usum in condiendis cadaveribus *Magnatum*, cum *Simone Pauli* expresse laudat.

§. XXVII.

*Virtus ad vinum & dolia* (quibus hoc asservatur) *condiendi*, jam olim explorata fuit. Sic *M. Cato* mm) ad labra doliolorum circumlinenda, ut bene odorata fient, & ne quid vitii in vinum accedat, *Irim aridam contusam præscribit*: Qui usus hodiernum fere passim obtinet, quando *lintea sulphuri liquefacto intincta*, *Iride* præsertim, tum aliis fragrantibus rebus *conspersa* (vulgo *einschlag* vocant) accensa suspenduntur in doliis, ut hoc suffimigio perfusa vinum rectius conservent. Quin & *Columella* nn) ad vinum dulce faciendum, & alias diversimode salubriter condiendum, *Irim* in substantia infundendam præcipit. Tribus saltem verbis hoc refero, quod è floribus *Iridis*, *violacei aut saturati cœrulei coloris*, paretur atramentum *cœruleum*, (*Beil-blaue Saft Farbe*) cujus conficiendi artificium accurate recensuit *P. M. Caneparius* oo) & *Johannes Rajus* l. a. Ego hic pedem figo, Lect. benev. veniam deprecatus, sicubi erraverim, aut justo brevior forsan in tractatione hujus thematis visus fuerim; uti certe tam paucis plagulis omnia ad illud referenda me complecti non potuisse ultro confiteor. DEO autem T. O. M. ut pro aliis innumeris beneficiis, ita quoque concessis hucusque Academicorum studiorum adminiculis devotissimas nuncupo gratias.

F I N I S.

mm) de re rust. c. CVII.

nn) de R. R. Libr. XII, c. 27.

oo) de atram. descript. V. c. 4.

